

www.e-rara.ch

Theatrum concionum sacr. topicum

Theatri concionum sacr. topici theoretico-practici pars VIII - de ecclesia Christiana una, sancta & catholica : de communione sanctorum, & ecclesiae notis atque fatis : de externa ecclesiae administratione, ministerii functione, & disciplina ecclesiastica ... : cum adiectis indicibus necessariis, ...

Anhorn von Hartwiss, Bartholomaeus

Basileae, ann. Chr. 1691

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-80003>

Concio III

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

b. Spiritum S. à Deo petamus, Luc. II. 13.

c. Aperiamus portas cordis nostri, ut Spiritus S. intrare possit. Ps.

24. v. 7.

Epilogus.

O Sanctissima Trinitas, quia caro & sanguis regnum tuum non possidebit, 1. Cor. 15. v. 50. nec te videbit, nisi mundus corde, Matth. 5. 8. ex aqua & Spiritu regeneratus, Joh. 3. 5. rogamus te humiliter, ut nos regeneres, & in imaginem tuam ex gloria in gloriam transformes, 2. Cor. 3. 18. idque per Spiritum tuum. Ps. 104. 30.

Nos capillum capitis nostri, album aut nigrum facere non possumus, multo minùs nos ipsos, naturâ corruptos & malos regenerare: apud te verò non est impossibile ullum verbum. Luc. 1. v. 37. Tu cæcis visum restituis, Ps. 146. 6. Tu erigis prostratos, & aridum sæcundas desertum, Ps. 107. 35, 39. tu Spiritum tuum emit- tis & renovas terram, Ps. 104. 30. Exere tuam potentiam in nobis & regenera nos: transforma mentem nostram in fertilem hortum, qui rore gratiæ tuæ rigatus fructum ferat ad gloriam nominis tui. Phil. 1. v. 11. O Domine, da quod jubes, & jube quod vis. Tibi sit laus, ho- nor & gloria, in secula, Amen.



Lib. I. Cap. XXXI. Concio III.

De Mortificatione in specie.

Hebr. Cap. 12. v. 14.

Sectamini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.



Ostros Ecclesiæ orthodoxæ, egregium, emphaticum & verè Theologicum Apostoli Pauli effatum, Rom. 8. v. 29, 30. Quos previdit Deus, eos predestinavit, ut conformes fiant imagini filij sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres. Quos verò predestinavit, eos etiam vocavit: quos vocavit, eos etiam justificavit: quos justificavit, eos etiam glorificavit: auream salutis catenam vocant, quia singula hæc in æterno Dei con- filio

filio, salvandis nobis destinata beneficia, indissolubili nexu ita coherent, ut qui unum horum annulorum fortiter apprehendit, totam catenam teneat: & qui unum dimiserit, reliquos omnes amittat.

Tenemus *primum* in hac catena annulum, *prædestinationem electorum*. Rom. 9. v. 11. per quem jus habemus ad hæreditatem paternam cœlestem.

Tenemus etiam *secundum*, *Vocationem efficacem*, quæ pro filiis Dei agnoscitur, & electio in se arcana, in nobis & aliis manifestatur.

Tenemus *annulum tertium*, beneficium *justificationis*, quæ tale Dei donum est, quo Domino nostro Jesu Christo ita unimur, ut unum cum eo simus, & omnium, quæ ipsius sunt, participes fiamus.

Ex *justificatione* porro nascitur *Sanctificatio*, sicut calor ab igne, & rivulus à fonte.

Annulus *quartus* in aurea hac catena est *Glorificatio*, seu plena illa electorum, vocatorum, justificatorum, regenerantium & Sanctificatorum beatificatio, resuscitatis justis in fine seculi, in cœlo parata.

Dum hæc vivimus, jam signati sumus *Spiritu S. sanctificante*, qui arrhabo est hæreditatis nostræ, & *Spiritus Sapientia*. Eph. 1. v. 13, 14, 17. *Annulum Sapientia* Salomonem habuisse, nescio, an fabulentur veteres, an verè dicant, quem Amasiæ ejus, quarum nimium multas habuit, in Jordanem abijcerint, quo amisso, non magis sapuerit, quàm occisa sus, eo verò in pisce reperto & ei reddito, respuisse, Cornel. à Lap. Comment. in Hagg. c. 2. v. 24. Sit fabula, quibus mirum in modum delectantur Pontificii, hoc tamen verum est, multos hanc vitam cum suis amasiis, in delitiis & turpissimis voluptatibus transigere, quæ illos decipiunt & annulo sapientiæ atque Sanctimoniam privant. Nos amissimus hunc sapientiæ & sanctimoniam annulum in Paradiso, hinc, quanti, quanti sumus, mera stultitia sumus, 1. Cor. 2. 14. abalienati à vita Dei. Eph. 4. 18. Recipimus hunc electi, vocati, justificati, in regeneratione & sanctificatione, quando respiscimus, & regenerati sanctificamur, non tamen plenariè ante diem restitutionis omnium, Act. 3. 21.

Tunc, Patre placato, meriti reddentur honores,
Annulus, & cinget nos stola justitiæ.

De Sanctificatione in specie, quæ eximium Donum Dei

decus est, Psal. 93. v. 5. nunc verba faciemus, quæ cum justificatione ita conjuncta est, ut velut gemelli simul nati, ab invicem divelli & separari non possint: quotquot enim Christi sanguine abluti sunt, Spiritu ejus porrò mundari, & pristinæ sanctitatis luci atque nitore restitui debent.

De hac B. Apostolus in textu nostro agit, quando hortatur: *Seclamini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* In his verbis fideles

I. *Exhortatur ad Sanctimoniam.*

II. *Exhortationem efficacibus confirmat argumentis.*

Pars I. Exhortatur ad Sanctimoniam:

Seclamini Sanctimoniam.

¶ *Sanctum in Scriptura S. dicitur,*

1. *Quod à promiscuo & civili usu, omniumq; maxime à profano scparatum est, ita Sancti vocantur electi, à profanis Gentibus segregati, Levit. 20. 26. quorum est, in medio Gentis prave & perverse, lucere ut faces in mundo. Phil. 2. 15.*

2. *Quod Deo ejusq; servitio dicatum est. Sicut pii in Ecclesia, præ omnibus aliis populis. Exod. 19. 5. ut sint Gens sancta, & populus, quem Deus sibi proprium vindicat. 1. Pet. 2. 9.*

3. *Quod ad exemplar divinæ sanctitatis, per Sanctorum habitum inductionem se componit. 1. Pet. 1. 15, 16. De Sanctitate vel Sanctimonia in ultimo hoc significato heic agimus, & per Sanctificationem intelligimus: Gratuitam illam Dei actionem, quâ electi, regeneriti & fideles, Christo per fidem insiti, & per meritum ejus justificati, per Spiritum Sanctum magis ac magis à nativa corruptione & peccati turpitudine liberantur, & ad imaginem ejus instaurantur, ut Deum porrò pietate vitæ, & Sanctis operibus glorificent.*

¶ *Ad hanc Sanctimoniam Paulus exhortatur, quam Spiritus Sanctus in electis quidem operatur, 1. Thefl. 5. 23. in Ecclesia tamen & cœtibus sacris, indiscriminatim quivis, quibus Verbum Dei prædicatur, ad eandem invitantur. Exhortatur itaque*

α. *Irregeneritos in externa & visibili Ecclesia, quibus, quia sanctis*
morem

morem non gerunt monitis, omnis ignorantiae prætextus & excusatio in die iudicii est præcisa.

β. *Regenitos*, quales fuerunt Hebræi, ad quos Paulus scripsit, quibus gratia Dei præueniens, præparans, excitans, concurrens, operans, non defuit. Vide Theatr. nost. Parte II. pag. 500. seqq.

2. *Modus ἀγιασµῆς*, sive sanctificationis, ad quam Paulus hortatur, in hoc consistit, ut sanctificandi turpitudinem peccati fugiant, quod animam hominis in informe & horrendum monstrum transformat: & in anima, corpore & omnibus suis actionibus toti sanctificentur.

a. *In anima, ut*

aa. *Intellectus*, in quem horrida caligo, & vana rerum divinarum ignorantia introducta est, Eph. 4. 18. sanctificetur à pravis cogitationibus, erroribus, mendaciis, ita quidem, ut qui olim tenebræ fuerunt, nunc lux fiant in Domino. Eph. 5. 8.

bb. *Voluntas*, quæ bonum averſatur, Mich. 3. 2. Hof. 8. v. 12. sanctificetur à sua ἀπειθείᾳ, resistantia & contumacia, ut facultatibus inferioribus, & suo modo etiam intellectui imperiter, & nos Deo & Christo, promptissima alacritate, ad nutum suum præſtò esse faciat. Psal. 40. v. 8, 9.

cc. *Cor, affectus & appetitus sanctificentur*, ab omnibus pravis motibus & desideriis, quorum ferocia & tumultuatio paulatim compescenda est: quoties etiam de amplectenda Dei voluntate, sive decernente, sive præcipiente agitur, affectus nostri in consilium non sunt vocandi, sed perpetuum illis silentium est indicendum.

b. *In Corpore*, ut sistatur Deo hostia viva, sancta & accepta. Rom. 12. 1. De membris corporis, vide supra pag. 990.

c. *In omnibus actionibus nostris*. Tit. 2. 12. c. 3. 14. 1. Tim. 6. 11.

Ex his colligitur: Sanctimoniam complexum esse omnium virtutum & bonorum operum, studio tam conjuncto, ut omnes virtutes particulares, ipsius Sanctimonia partes sint, non tamen sine aliqua differentia.

Sanctimonia enim internus est, & universalis ornatus, animi & corporis, quem Deus nobis per creationem induit, & amissum per regenerationem reparat, consistens in sanctitate, & conformitate hominis interioris cum Lege Dei.

Virutes autem, sanctæ actiones sunt & opera, ex interno illo ornatu promanantia, & particulares quoque animi & corporis habitus, per frequentem praxin acquisiti.

7. Jubet Apostolus τὸν ἀγιασµὸν διώκειν, sectari, persequi, ut assequa-

sequamur. Sicut vis sancta ad Regnum cœlorum consequendum est adhibenda, quod violenti rapiunt, Matth.c. 11.v.12. ita diligens quoque & quasi violentum studium, ut *assequamur* hujus *sanctimoniam*

α. Κρίσιν, hoc est, *eam possideamus* Spiritu, anima & corpore, 1. Theff. 5. v. 23.

β. Φυλακὴν, *custodiam & conservationem*. Apoc. 3. 11.

γ. Ἀυξησιν, *incrementum quotidianum*, Apoc. 2. 2. v. 11, 13. Philipp. c. 1 v. 9, 10. 11.

Observat. Didasc.

I. *Sanctimonia fidelium passiva est, & activa.*

A. *Passiva*, ex imputatione perfectissima sanctitatis Christi, quâ legi divinæ toti conformiter vixit, nec illam, vel in minimo transgressus est, Matt. 5. 17. Rom. 8. 4. Hæc nobis proponitur, & cõferretur

a. *Tanquam singulare Dei beneficium*, Eph. 5. 26. 1. Theff. 5. 23. 1. Petr. 1. 2. Quo sensu Christus nobis à Deo *sanctificatio* factus dicitur. 1. Cor. 1. 30.

b. *Hæc nobis valdè necessaria est,*

aa. *Propter corrupta nature nostræ impuritatem*, Job. 15. v. 15. 16. 2. Cor. 3. 5. Jerem. 13. 23.

bb. *Propter imperfectionem sanctitatis illius, quæ nobis in regeneratione, dum in hac vita vivimus, restituitur, quia in multis labimur omnes*, Jac. 3. 2. & ipse justus in die septies cadit, Prov. 24. 16.

B. *Activa*, officium nostrum est, quod Deus per voluntatem mandati, à nobis exigit, & ortum trahit ex inchoatione sanctitatis inherenti, quæ cum justitia & sanctitate aliena, Christi nimirum, nobis imputata & donata, conjungenda est, & per sanctam regenerationem, mentisque renovationem, à nobis ita declaranda, ut cum *sanctitate & justitia*, Deo nostro *serviamus in conspectu ipsius, cunctos dies vite nostræ*. Luc. 1. 74, 75. Ad hanc hortatur Paulus in textu nostro, item 2. Cor. 7. 1. 1. Theff. 4. 3, 4. Ezech. 33. 15. Zach. 1. 3.

Sanctificatio igitur *Passiva*, ea est, quâ *convertimur à Deo*, Jer. 31. v. 18. eademque est cum sancta regeneratione. Joh. 3. 3, 5.

Sanctificatio *Activa* illa est, quâ *conversi ad Deum, relictiis idolis & peccatis, servimus Deo vero & vivo*. 1. Theff. c. 1. v. 9. eademque est cum *resipis-*

resipiscencia, & conversione à tenebris ad lucem, à potestate Satanæ ad Deum. &c. Act. 26. 18.

Operæ pretium hic esse videtur, in Sanctificationis hujus causæ inquirere, quas sequentes observamus.

α. *Causa Sanctificationis principalis efficiens, sive Author, Deus est, ipsa increata & infinita Sanctitas, omnis creatæ & finitæ fons & origo.* Ezech. 20. 12. 1. Theff. 5. 23. Esaj. 63. 11. in quo Esajæ loco per Spiritum sanctitatis, Sanctificationis author intelligitur. Unde etiam speciali appropriatione, juxta divinarum operationum œconomiam, Sanctificationis actio, Spiritui S. tribuitur, 2. Theff. 2. 13. Tit. 3. 5. quia peccatoris sanctificatio, gratiam Patris, & meritum Filii sequitur.

Christi tamen partes, in hac sanctificatione nostri, & nostra, præcipua esse videntur respectu impetrationis, & applicationis.

a. Respectu impetrationis, quia Christus suo merito impetravit, ut sanctificentur electi, Eph. 5. 26. fieri enim non poterat, ut perditæ Dei imago peccatori restitueretur, nisi is qui Personalis est imago Patris, peccatoris & servi imaginem prius assumeret, injusto hominum odio se subiceret, ut severissimæ Dei justitiæ satisfaceret, quo ipso nobis, merito suo, factus est sanctificatio. 1. Corinth. 1. vers. 30.

b. Respectu applicationis, quia electos suos, suo sibi unit Spiritu, ut per hanc unionem, virtus crucis, mortis & resurrectionis suæ, ad illos dimanaret. Virtus crucis & mortis, ut mundo crucifigerentur, & mundus ipsis, Gal. 6. 14. Virtus resurrectionis, Phil. 3. 10. per quam nova in illis vita produceretur, ut, quia vivit ipse, viverent etiam ipsi. Joh. 14. 19.

β. *Causa instrumentalis* hujus sanctificationis est Verbum Dei, Legis quidem etiam, sed præcipuè Evangelii, accedente usu Sacramentorum, quæ sigilla sunt justitiæ fidei. Rom. 4. 11.

γ. *Causa exemplaris est Deus ipse*, Levit. 19. 2. 1. Petr. 1. 15, 16. & Christus filius, qui sanctitatem virtutum à se discere jubet, Matth. c. 11. v. 29.

δ. *Et causa administra*, ad Christi imaginem nos refingens, vera & salvifica fides. Gal. 2. 20.

ε. *Operatio & effectus sanctificationis, actualis & realis est*, quia virtute illius sanctificamur, & ad pietatem, virtutem, bonaque opera formamur, Eph. 2. 10. & mentem à Deo accipimus ad cognoscendum, oculos ad videndum, aq̄ aures ad audiendum. Deut. 29. 4. Ponit Spiritum suum

suum in medio nostri, & facit, ut in statutis suis ambulemus, juraque sua observemus. Ezech. 36. 27. *Indit nobis cor unum, & viam unam, ad reverendum se in omnibus diebus nostris*, Jerem. 32. 39. Nemo enim imaginem Dei in homine refingere potest, nisi, qui ipsum prius ad imaginem suam fecit, quum posterius non minoris virtutis opus sit, quam prius.

II. Sanctificatio individua est justificationis comes.

Nemo enim justificatur, quin iudem sanctificetur: Et nemo sanctificatur, nisi jam justificatus sit: Etsi enim bona opera justificandum non præcedant, indubitato tamen justificatum sequuntur: ita quidem, ut, quem ex præfractè impia & scelerata sua vita, nondum sanctificatum esse, conjicimus, eundem jam justificatum esse, pronuntiare non possumus, diligenter itaque observanda est,

Justificationis & sanctificationis tum convenientia, tum differentia.

1. Conveniunt Justificatio & Sanctificatio

a. *Auctore Deo*, qui impium justificat, & justificatum sanctificat, ut à peccati tyrannide liberatus, dignè vivat Evangelio Jesu Christi. Phil. 1. 27. 1. Joh. 3. 10.

b. *Causâ instrumentali, quæ est fides*, quâ justificamur, non tamen eodem modo: nam in justificatione fides Christi meritum apprehendit, quâ solâ remissionem peccatorum, & justitiam coram Deo valentem apprehendit: In Sanctificatione verò fides radix est bonorum operum, quæ ex fide, tanquam ex fonte, scaturiunt.

c. *Materiâ & Subiecto*, quia iudem justificantur & sanctificantur, nullâque ratione duo hæc beneficia divelli & separari possunt, tamen accuratè sint distinguenda.

d. *Fine ultimo*, qui utrobique est gloria Dei, & sanctissimi nominis illius celebratio.

2. Differentia inter Justificationem & Sanctificationem, consistit

α. *In genere*. Justificatio enim Sanctificationis est causa: Sanctificatio verò justificationis effectum. *Justificatio* est abolutio à reatu & pœna: *Sanctificatio* verò mutatio est pravarum naturæ

turæ nostræ qualitatum, & earundem, quoad existentiam, successiva abolitio.

β. In Materia & objecto, quod in justificatione est satisfactio Deo Patri, à Christo pro nobis præstita: In Sanctificatione est obsequium, quod nos Deo præstamus.

γ. In forma. In justificatione, peccata nobis propter Christi passionem, mortem & meritum, remittuntur, & justitia Christi, Legi Dei pro nobis præstita imputatur & donatur: Sanctificatio autem est qualitas nobis inhærens, per Spiritum S. in nobis effecta. Ezech. 36. 26. Jerem. 31. 33.

δ. In ordine natura. Etsi enim justificatio & sanctificatio simul sint tempore, justificatio tamen prior est naturâ, & sanctificatio posterior, planè sicut arborem prius bonam esse oportet, quàm bonos proferre possit fructus, ita impius prius justificandus est, quàm fructus resipiscentiâ dignos ferre possit.

ε. In gradibus. Justificatio, actus est unus, perfectus & æqualiter contingens omnibus, qui justificantur, ita, ut nulla ampliùs sit condemnatio in illis, qui sunt in Christo Jesu. Rom. 8. 1. Sed Sanctificatio datur *inaequaliter.* In hac vita demùm est inchoata, quæ in singulis justificatis paulatim & successivè, pro donorum Spiritus S. varietate, provehitur & augetur.

ς. In effectis. Justificatio non est medium duntaxat salutis, sed causa etiam ejusdem atque fundamentum. Sanctificatio verò, est quidem etiam medium salutis, quia est ambulatio in via salutis ad salutem: ejusdem tamen causa & fundamentum non est.

ζ. In fine proximo, qui in justificatione interna pax conscientiæ est. Rom. 5. 1. In Sanctificatione verò externa pacis hujus declaratio, & aliorum tam per præcepta, quàm per exempla confirmatio.

III. Vera sanctificatio in hac vita imperfecta quidem est: non tamen segnis & ignava.

a. Vera sanctitas virtus est divina, per singularem Spiritus S. gratiam & operationem, electis, efficaciter vocatis & justificatis collata, quâ à peccatis emundati, se totos componunt ad imaginem Dei, ad quam sunt renovati, in omnibus totius vitæ suæ actionibus exprimendam.

Virtutem dico, divinam esse, ut Theologica illa, qualis etiam hæc est, à communi quavis Ethica aut Gentili distinguatur.

Includit hæc Sanctitas, quæ Sanctificationis specialis effectus est, omnimodam totius hominis rectitudinem, & immunitatem à Libe, cujus fundamentum ipsa Lex divina est, omnis iusti, æqui & sancti regula. Dicitur autem *Sanctitas*, non, qualis Christi & Angelorum est, quam nulla præcessit vitiositas, sed quia à corruptione & peccato abluitur & sanctificatur. 1. Cor. 6. 11.

b. Hæc Sanctitas vel *Habitualis* est, vel *Actualis*.

* *Habitualis*, habitum notat per gratiam Spiritus Sancti infusum, Eph. 4. 24. & legem Dei menti humanæ inditam, Jerem. c. 31. v. 33.

** *Actualis*, ex sancta hominis conversatione apparet, 2. Petr. 3. 11. & est, omnium animæ facultatum, omnium sensuum & membrorum corporis, quod 1. Cor. 3. 16. templum esse dicitur Spiritus Sancti. *Est etiam universalis* omnium cogitationum cordis, omnium sermonis, verborum, & totius conversationis actionum, 1. Petr. 1. 15.

c. *Sanctitas hæc, cujus causa efficiens est Sanctificatio, in hac vita est imperfecta*, quia perfectionem illam, quam Deus in Lege sua ab homine exigit, ut ab omni vitio sit immunis, & ab omni scelere purus, nemo in hac vita consequitur, quod diserta Scripturæ S. testimonia probant, 1. Reg. 8. 46. Jac. 3. 2. 1. Joh. 1. 8. & confessiones atque exempla Sanctorum demonstrant. *Causa imperfectionis hujus est*

aa. *Ex parte nostra*, Caro inhabitans, virtute quâdam Spiritus S. in justificatis domita, ut non regnet, Rom. 6. 14. crebrò tamen pios infestat, & in cursu pietatis retardat, Hebr. 12. 1. *Caro semper concupiscit adversus spiritum*, Gal. 5. 17. Rom. 7. 14. 15. Surgit frequenter homo renatus per Spiritum, sed magno mox illum molimine caro iterum deorsum trahit.

bb. *Ex parte Dei*, qui carnis reliquias in hac vita à sanctificationis non planè expellit.

α. *Ut inter cælum & terram, inter militiam & triumphum, inter laboris & quietis locum discrimen esset, & pii cœlestem ardentius desiderarent Patriam, exemplo Pauli, Rom. 7. 24.*

β. *Ut suos in hac vita ad patientiam, humilitatem & cōspiciendos erga alios, maturè assuesceret, planè sicut olim Philisthæos & Cananæos ad exercendam Israëlitarum pietatem, in confinibus eo-*

rum reliquit, ne ignavo torpescerent otio, aut nimiâ quiete & felicitate diffuerent.

γ. Ut ostenderet, salutem nostram, non meritis nostris, sed soli gratia sua deberi.

δ. Ut suos paulatim ad ulterioris sanctitatis apicem eveheret. Creationem Mundi, à rudi Chao, & indigesta mole orsus est, quem sex dierum successione, in hanc pulchritudinem efformavit, ut, ultimâ impositâ manu, Sabbatho quiesceret. Gen. 2. 2. Pariter in creatione novi Gratia Mundi, à nihilo incipiens, paulatim suos ad ulteriora deducit, donec decurso terrestris septimanæ spatio ad cœlestis Sabbathi auroram, perfectæ simul Sanctitatis & gloriæ evehantur.

ε. Etsi imperfecta sit justificatorum in hac vita sanctitas, segnis tamen & ignava non est, nunquam oriatur, sed frequenter in Lege Dei meditatur, Ps. 1. 2. Contendunt sanctificati semper, enixo quasi studio, ut Deo accepti sint. 2. Cor. 5. 9. Tanquam populus spontaneus, maximâ animi lubentiâ, alacritate & promptitudine ipsi serviunt. Psal. 110. 3. Vide de Perfectione Christianorum Theatr. nostr. Parte VII. pag. 632. seqq. item p. 637.

Uſus ad Informationem.

Quomodo & quibus mediis ad hanc sanctificationem & sanctimoniam consequendam, aspirare debeamus? Debemus

α. Verbum Dei diligenter legere, audire, meditari, observare, ut sanctificemur in veritate Christi. Joh. 17. 17. Jer. 31. 33. Efficax est hoc verbum ejus ad hominem sanctificandum, quia ex corde, in quod recipitur, peccatum expellit, & potens est regenerandi hominis organum. 1. Petr. 1. 23. de quo Chrysoft. Etsi contenta non usquequaq; intelligas, ipsa tamen lectio plurimam sanctitatem gignit.

β. Christum, tanquam sanctificationem nostram nobis per fidem applicare, sicque ex Christo, gratiæ & sanctitatis fonte, Joh. 1. 16. sanctitatem quasi sugere, ut ad consimile sanctitatis studium, gratitudinis nostræ testandæ causa, excitemur. Certa enim & attenta Domini nostri Jesu Christi consideratio, validissimum sanctificationis nostræ medium est, quia in ejus passionibus & morte apparet abominabilis peccati nostri sæditas, & ineffabilis Dei erga miseros nos mortales charitas, quæ ad sanctitatis studium meritò nos constringit, 2. Cor. 5. 14. Eximia item sanctitatis pulchritudo, per quam ad eandem imaginem Christi transformamur. 2. Cor. 3. 18.

γ. *Vivâ fide non tantùm generales Dei promissiones, sed particulares etiam apprehendere, quæ ipsam quoque Sanctificationem promittunt.* Ezech.36.v.25-27.

δ. *Spiritu Sancto nos totos tradere, ut ab eo ducamur & regamur in omnibus.* Rom.8.13,14. Hic enim nos ita solet tractare, sicut ipse tractatur à nobis. Ne igitur illum contristemus, Eph.4.v.30. aut sanctos ejus in nos influxus, desides negligamus.

ε. *Diligenter & ardentè precari, ut ipse Deus nos sanctificet totos, animâ, spiritu & corpore.* 1.Thess.5.23. Phil.1.6. Psal.19.14,15.

ς. *Vocationis nostræ diligentem & sollicitam curam gerere, otium fugere, & quomodo hætenus vixerimus, vivamus in præfenti, & victuri simus in posterum, accuratum examen instituere.* Deputemus assiduè vias nostras, ut referamus pedes nostros ad testimonia Dei. Psal.119.59.

ζ. *Omne pravum consortium fugere, cujus contagione facile inquinantur etiam, qui antehac pientiores fuerunt.* 1.Corinth.15.33. 2.Cor.6.v.14.seq.

Ufus ad Correctionem

Ignavorum & segnium Christianorum, qui assiduè & frequenter ad sanctificationis & sanctimonie studium excitantur à Paulo, Hebr.12.14. à Petro 1. epist.1.15. 1.Thess.4.3. sed, quod olim Spartanus quidam de Atheniensibus dixit, illos scire quidem, quæ recta essent, sed non facere, idem de nostri temporis Christianis dici potest & debet, scire, quòd sancti esse deberent ad exemplum Dei, sed sanctitatem omnem averteri. Conciones audiunt, ad sanctitatis studium excitantur, sed contemnunt nobile Verbum, nauci faciunt sacra monita. Veniunt, ut audiant, non, ut discant: veniunt sicut in Theatrum, voluptatis causâ ad delectandas aures, aut ad exagitandum Verbi præconem, non ut erudiantur: minùs, ut sanctificati, vitia deponant, & aliquam vitæ & sanctimonie lucem accipiant.

Ufus ad Exhortationem.

I. Pulchrè monuit Seneca: *Qui ad Philosophorum Scholas venit, quotidie secum aliquid boni ferat, ut sanior domum redeat, aut sanabilior.* Idem nobis inculcandum, quoties in Cœtum Sacrum, ad audiendum Verbum Divinum venimus, semper aliquid nobiscum feramus, ut Sanctiores domum redeamus. Discamus sectari sanctimoniam,

moniam, discamus requirere Jehovam, dum præstò est, & invocare, dum propinquus est, Esa. 55.6. Propinquus est, dum nos invitat, Marc. 1.15. Ezech. 33.11. Matth. 3.8. *Dicit fortè Satan*, Hagg. 1. v. 2. non advenisse tempus, meminerimus tempus breve esse 1. Cor. 7.29. & propterea maturè redimendum, Eph. 5. 16. ut sancti simus sicut Jehova Deus noster sanctus est. Levit. 19.2. Simus Sancti *in cultu Dei & Religione sancta*, Esa. 1.16. *in studio precum*, Esa. 1.15. Joh. 9.31. *in calamitatibus*, Zeph. 2.3. *in toto vite curriculo*, Rom. 12.2. cum primis, quando *tempus instat mortis*. Quicquid propiùs centro suo accedit, celerius movetur; Centro mortis propinqui; cujus una dies latet, ut omnes observentur, August. *in studio sanctimonia, celeres simus & expediti*.

Israëlitæ sexto die duplam Mannæ quantitatem colligebant, ut septimo, Sabbathi die, quoque quo vescerentur, haberent. Exod. 16.22. Dum vivimus, incerti de tempore exitus ex hac vita, duplam sanctimoniam colligamus quantitatem; Christi sanctitatem apprehendamus fide, ut eà ornati coram Deo consistamus; illamque fide nobis applicatam, habituali atque actuali nostrâ, ita testemur, ut Deo nostro in sanctitate & justitia serviamus omnibus vitæ nostræ diebus. Luc. 1.74,75. Hæc Sanctimonia nostra, *altera est justitia, quæ primam sequitur*, Deo grata, sicut Abrahami obedientia, Jobi patientia, Josephi castitas, & Davidis respicientia, &c.

Demus igitur operam, ut sancta sit

a. *Mens nostra*, eaque impleatur *omni cognitione voluntatis Dei, cum omni sapientia & intelligentia spirituali*. Coloss. 1. 9. quæ ex verbo Dei concipiamus, quid faciendum, quid omittendum sit: quæ in particularibus etiam actionibus nôrimus, ea quæ decent, suo tempore & loco exequi, Johan. 13. v. 17. Ita *Sapientia & intelligentia* hujus effecta erunt,

aa. *Sensus exercitati ad discretionem boni & mali*, Hebr. 5. 14. Phil. 1.9.

bb. *Dijudicatio Spirituum*. 1. Joh. 4.1. 1. Thess. 5. 21.

cc. *Frequens meditatio de Deo & operibus ejus*. Psal. 119. tot.

dd. *Agnitio cæcitatatis naturalis*, 1. Cor. 2. 14. Eph. 4. 18. per illuminationem Spiritus S. mediante verbo Evangelii sublatae, 2. Cor. 4. 6. Oremus igitur: *Doce me, Jehova, viam statutorum tuorum, ut ea custodiam usque ad finem*, Psal. 119. 33.

b. *Volun-*

b. *Voluntas nostra, quæ regenita incipiat bonum velle & efficere,* Phil.2.13. & in hac imperfectione à Spiritu S. adjuncta, prudenter & fortiter, contra concupiscentias carnis luctetur, Gal.5.17. & actiones ejus mortificet. Rom.8.13.

c. *Memoria nostra, quæ rem bonam menti oblatam custodiendi virtute donata, ejus continuè reminiscatur, & semper cogitet quæ vera, veneranda, justa, pura, amabilia, & boni nominis sunt.* Phil. c.4.8. exemplo Davidis, Psal.119.11. & Virginis Mariæ. Luc. c.2. v.19,51. Proverb.3.12.

d. *Ut Sancti sint affectus nostri, & eo, quod malum est, nunquam commoveantur, nisi, ut declinent.*

cc. *Per spem, ardentibus suspiriis complementum redemptionis nostræ expectemus.* Rom.8.23. Esaj.30.15.

ββ. *Quæcunque nobis in terra videntur esse lucra, ea propter Christum damna esse ducamus,* Phil.3.v.7,8.

γγ. *Cum timore versetur. commorationis nostræ in hac vita tempore,* 1.Petr.1.17. *cum timore nempe & reverentia Dei, atque sancti illius nominis, quia in reverentia Jehovæ fiducia valida est, qui filiis suis receptui esse solet.* Prov.14.26. *Timor hic Jehovam jugiter sibi proponit,* Psal.16.8. eumque præsentem ita reveretur, ut integrè coram eo ambulet, Gen.17.1. & Cap.39.9.

δδ. *Ardeamus zelo pro gloria Dei.* Rom.12.11. exemplo Davidis & Christi. Psal.69.10. Joh.2.17.

εε. *Propter grassantium in mundo scelerum & flagitiorum abominaciones suspiremus & exclamemus,* Ezech.9.4. rivi que aquarum descendant ex oculis nostris, propter eos, qui non observant Legem Domini. Psal.119.136.

ςς. *Diligamus Deum supra omnia,* Psal.18.v.2,3. & Proximum, sicut nos ipsos, Col.3.13. 1.Joh.3.18.

ζζ. *Gaudeamus in Domino semper.* Phil.4.4. quia Regnum Dei justitia est, pax & gaudium in Spiritu Sancto. Rom.14.17. & quo magis appropinquat redemptio nostra, hoc magis attollamus capita. Luc.21.28.

e. *Sancta quoque sit conscientia nostra, quæ virtutem habet, ab omnibus peccatis nostris nos excusandi, non, quòd nulla commiserimus, sed, quòd in Christo nobis sint remissa, cujus sanguine purgamur ab omni peccato,* 1.Joh.1.7. Hebr.9.14. in posterumque fidem & bonam conscientiam retinere studemus. 1.Tim.1.19. Act.24.16. Job.27.5,6.

II. Sancti-

II. *Sanctitatis*, cui à Spiritu S. sanctificati operam dare debemus, *norma sit*,

a. *Sanctissima & perfectissima Lex Dei*, quam Ecclesiæ suæ in præclarum dedit depositum, Psal.147.19. in qua nihil deest, aut desiderabitur, quia os Jehovæ illam præcepit. Esaj.34.16.

b. *Egregius splendor sanctitatis magnificorum in terra virorum*, in quibus Deo est oblectatio, Psal.16.3. quorum probata exempla omninò imitari oportet, qui sunt Patriarchæ & Prophetæ, Veteris, Apostolique & constantissimi Martyres Novi Testamenti, ad imitationem nobis propositi, 1. Corinth.4.6. Cap.11.2. Phil.3. v.17. Hebr.13.7.

Cauro tamen hic opus est, *ut ea solum sanctorum facta imitemur*, in quibus à divina legis & sanctitatis norma non deflexerunt: ubi desciverunt, *moniti discamus eorumdem*, quod sapientissime in exemplo Salomonis observavit & monuit Nehemias, Cap.13.26.

Perfectiora imitationis exempla habemus,

α. *In cælo, Sanctorum Angelorum chorus, & justorum consummatorum Spiritus*, quorum in oratione Dominica sanctitas commendatur, quando orare jubemur, *ut fiat voluntas Dei, quemadmodum in cælo, sic etiam in terra.*

β. *In terra perfectissimum sanctitatis exemplar Christum Jesum*, cujus vestigiis insistere Petrus jubet, 1. ep. 2. 21. & ipse Christus à se discere, Matth.11.29. non cælum & terram creare: non genus humanum redimere, sicut rectè Augustinus observat, sed quòd mitis sit & humilis corde: cum primis, quia purissimum cum Patre sanctitatis est exemplar, cujus memoriam celebrare jubemur, Psal.30. v.5. Psal.97.12. exemplo Sanctorum Seraphim, Esaj.6.3. *Ad sanctitatis hujus imitationem invitamur*, Levit.19.2. 1. Petr.1. v.15,16. Confer Theatr. nostr. Part. 2. pag. 462. seq.

III. *Quando sanctitatis virtutem in Christianismo nostro per singularem Dei gratiam apprehendimus, ne patiamur eam nobis iterum eripi, nec mundi pollutionibus, quas semel effugimus, rursus implicemur*, 2. Petr.2. v.20-22.

a. *Semper federis nostri cum Deo in baptismo initi memores*, in quo nos ei ad sanctitatis in tota vita nostra studium obstrinximus. Memores etiam *redemptionis nostræ*, quæ nos obligat ad glorificandum Deum in corpore & Spiritu nostro, quæ Dei sunt. 1. Cor.6. v.19,20.

Ooo ooo

b. Sancti-

b. *Sanctimoniam inchoatam studeamus augere, & in dies in praxi ejus proficere.* Coloss. 2.9. 2. Timoth. 4.15. Phil. 1.9. Tunc verò in sanctitate proficimus, quando nos quotidie in abnegatione nostri & imitatione Christi plenius exercemus, & sancto usui mediorum, quæ ad sanctitatem ducunt, invigilamus, Proverb. 4. 23. seqq.

Habetis, Dilecti, *Christiane sanctitatis praxin,*

α. *Cujus Author est Spiritus Sanctus,* qui Zach. 12. 10. *Spiritus Gratis* dicitur, quem non nisi electis suis imperitur Dominus, Joh. c. 14. v. 17.

β. *Cum hac fides est conjuncta,* quæ sanctitatis hujus est initium, & primum Spiritus Sancti nos Christo unientis opus: de qua pulchrè Augustinus 1.4. contr. Jul. c. 3. *Absit, ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus: absit autem ut sit justus verè, nisi vivat ex fide: justus enim ex fide vivit.*

γ. *Sanctitatis Christiane praxis ex vero Dei amore scaturit, & consistit in illa φιλοψυχία,* 2. Cor. 5.9. id, quod Deo gratum est, faciendi. Hinc rectè dixit, qui dixit: *Dilectio Dei fons est omnis pietatis & sanctitatis.*

Ufus ad Consolationem.

I. *Quid latius & consolatione plenius est in calamitatibus hujus seculi, quàm hominum sanctificatum mente, Deum suum intelligere, voluntate colere & venerari, appetitu desiderare, memoriâ tenere, & in tota vita corpore & animâ glorificare?* possidet hic Deum Ps. 73. 25-28. hujus sunt omnia, Mundus, Deus, Christus. 1. Cor. 3. 21. seq. hic per nullam calamitatem à charitate Dei separabitur. Rom. 8. 35. seq. omnia hujus mala mitigabuntur, & tandem planè tollentur. 2. Tim. 4. 18.

II. *Etsi hac nostra sanctificatio in terris non sit perfecta,* quia frequenti & crebrâ carnis & spiritus luctâ exercitata, uno momento non absolvitur, Deo tamen placet,

a. *Quia hominem regeneratum per indefessum penitentis studium, in dies sanctiorem & Deo chariorem facit:* planè sicut Agricola, terram illam amplius amat, quæ post spinas bene culta, uberem profert segetem, quàm eam, quæ nullas quidem unquam spinas, nec fertilem tamen, utut culta, segetem.

b. *Quia electionis est indicium, & certæ justificationis signum.* Act. 13. 48. 2. Petr. 1. 5. seqq.

c. Quia conjunctam habet exauditionem precum, quæ Diaboli jacula submovent, tentationum incurfus repellunt, infernalis ignis flammæ extinguunt, & ad cœlestia sublevant.

d. Quia Sanctificatio in hac vita, inchoata est glorificatio, Rom. 8. 30. in corpore & anima olim in cœlo consummanda.

Pars II. Efficacia argumenta, exhortationem ad sanctimoniam confirmantia, sunt in verbis, *secundum sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*. In verbis: *sine qua (sanctimonia) nemo videbit Deum*, tria latent argumenta ad sanctitatem impellentia, desumpta

A Necessitate: Utilitate: & Neglectis damno.

I. *A necessitate*, quæ innuitur voce *ἀναγκαῖον*, *Sanctimonia*. Hæc necessaria est

a. *Propter corruptionem & impuritatem nature humanae congenitam*, Psalm. 51. 7. quæ hominem non regeneratum, non sanctificatum, in via inferni relinquit, & ei, quamdiu in statu peccati hæret, merito imputatur.

b. *Propter regenerationis in hac vita imperfectionem*. Per hanc quidem peccati vis in regeneratis frangitur, sed peccatum non omnino deletur, quia pondus ejus etiam sanctissimos adhuc circumcingit. Hebr. 12. 1. unde variis sæpè lapsibus, exemplo Davidis, Petri, &c. præoccupantur. Gal. 6. 1. & occulta sua peccata deprecari necesse habent, Ps. 19. 13. quotidie orare, *remitte nobis debita nostra*: & alacriori semper studio ad sanctitatem contendere, Phil. cap. 3. v. 12-15.

c. *Quia Sanctitatem omnes Religionis nostræ, quæ Deo religamur, articuli requirunt*: Electio Eph. 1. 4. Redemptio Tit. 2. 14. Dei imago, ad quam sumus restaurandi, Eph. 4. 24. inhabitans in nobis Christi spiritus, Rom. 8. 9. Natura fidei. Actor. 15. 9. & ipsa salus æterna, cujus particeps fieri non potest, qui inquinatus est, aut abominandum quid, sine resipiscencia, patrat. Apoc. 21. 27.

2. *Ab utilitate*. Paulus ait: *Hominem, sine sanctimonia Deum non visurum*. Sanctificatus ergo passivè & activè, Deum videbit, in qua Dei visione simul & fruitione, tota nostra salus, felicitas & gloria æterna consistit. Jacob cum Dei filio luctans, & victoriam obtinens, dixit Gen. 32. 30. *Deum vidi, & erepta est anima mea*.

Occup.

Quid? Jacob dicit, *se vidisse Deum*, &c. & Paulus, *sine Sanctimoniam neminem visurum Deum*: ex quo concluditur, Sanctum, visurum esse Deum, sic Matth. 5.8. Moses autem testatur, Exod. c. 33. v. 20, 23. Dei faciem videre, neminem posse: Sic Christus, Joh. 1. 18. Deum nemo vidit unquam. *Nonne hac sibi invicem contrariantur?*

1. Tenendum est, *visionem Dei*, esse

1. *Essentialem*, seu modis omnibus perfectissimam, ita Deum nemo vidit unquam, nisi Filius Dei. Joh. 1. 18. Matth. 11. 27.

2. *Propheticam & Symbolicam*, quâ piis in certis presentia signis in V. T. apparuit, velut Mosi in rubo ardente. Exod. 3. 2. Esajæ in throno excelsio. Esaj. 6. 3.

3. *Naturalem*, quæ in Dei operibus piis & impiis communis est. Rom. 1. 20.

4. *Spiritualem*, per fidem, de qua Aug. ep. 3. ad Fort. *Deus tunc mente cernitur, quando invisibilis creditur.*

5. *Gloriosam in cælis*, quæ intellectualis magis erit, quàm corporalis. De qua visione Dei, plura c. 8. libr. I. Cap. 36.

Apostolus, hoc loco, *ad spiritualem per fidem, & gloriosam in cælis*, respicit, quando sanctimoniam sectari jubet, *sine qua, nemo visurus sit Deum*. Quisquis ergò Deum videre cupit, omni conatu, *ut sanctus sit*, contendere debet. Semel enim Deum videre, plus est, quàm totum Mundum possidere.

Visio spiritualis per fidem, in hac vita, *est inchoata*, quando faciem suam Deus sanctis, per Verbum, Spiritum suum & consolationem interiorum spiritualiter videndum exhibet. *Gloriosa*, in altera vita completa erit, & perfecta. 2. Cor. 5. 7. 1. Cor. 13. 12. Psal. 17. 15.

3. *A noxa & damno illorum, qui sanctimoniam non sectantur*, quorum infelicitas & miseria vel hoc nomine ineffabilis est, quòd Deum non videbunt.

Deum non vident, qui à facie ejus abjiciuntur in tenebras exteriores.

a. *Qui sanctimoniam non sectantur, Deum non vident*, quia gratiosæ illius faciei intuitu privantur. Princeps terrenus hominem fectidum & impurum, in conspectum suum non admittit: admittit verò hominem comptum, politum, nitidum, exemplo Ahasveri, qui puellas virgines sibi adducendas, oleo myrrhino, aromatibus, & mundo mulie-

muliebri præparare voluit, Esth. 2. 12. Quanto minus Deus, cujus oculi puriores sunt, quàm ut aspiciant malum, Habac. 1. 13. *sceleratos & impuros ad se admittit.* Pl. 5. 5. Cùm Jehofya vestibus sordidis indutus coràm Angelo flaret, *sordidas vestes ab eo amoveri jussit*, hoc est, iniquitatem ejus transferre, eumque aliis indui vestibus, & cidarim mundam capiti ejus imponi, Zach. 3. 4, 5. hoc est, *um sanctificari*, ut in viis Dei ambularet, & observationes ejus observaret. ibid. v. 7. *Idem incumbit omnibus, qui in gratiosum Dei conspectum admitti volunt.* Tunicam carnis contactu maculatam exuere debent, Judæ v. 23. & tunicam justitiæ, vel sanctitatis induere, Esaj. 61. 10. Eph. 4. 24.

b. *Qui sanctimoniam non sectantur, à Dei facie in tenebras exteriores abijciuntur*, ubi fletus est & stridor dentium, quod convivæ, nuptiali veste destituto accidit, Matt. 22. 11-13. Evenit idem omnibus, qui bysso purâ & splendidâ justificationum & sanctimonix sanctorum, non sunt amicti. Ap. 19. 8. *In tenebris illis æternis & igne inextinguibili*, Diabolo & Angelis ejus parato, Matt. 25. 41. in horribili societate spirituum infernalium, omnis sanctimonix hostium, cruciabuntur in æternum, *quotquot Sanctitatem in hac vita sectari noluerunt.* Proh, *quanta hæc miseria!* Quod si in hac vita, vel momentanea terribilis spectri Diabolici forma hominem tantum non exanimat, quantus horror erit, in omnem seculorum æternitatem, in horrendissimorum Satanicorum monstrorum societate terreri, & sine fine cruciari? En damnum, quod manet hominem, qui sanctimoniam non sectatur!

Ufus ad Epanorth.

Utinam hæc pensi haberent hoc tempore, omnes scelerati & impuri, non inter plebejos modò: sed etiam Magnates terræ, qui ab omni sanctimonix alieni, *non animum tantum & mentem, impuris cogitationibus, sed corpus etiam horrendis libidinibus, & reliquis vitæ suæ actiones, infandis perjuriis, immani tyrannide, innocentium oppressione, facultatum direptione, terrarum & Regionum depopulatione, urbium, oppidorum, arcium, castrorum, vicorum & pagorum per incendia devastatione, Templorum & Sacrarum adium demolitione, omnisq; pietatis & Religionis everfione, pollunt.* Num, qui non tantum Sanctimoniam non sectantur, sed omnes in super æqui, justi & innocentix sectatores persequuntur, & illis agrè faciunt, *Deum visuros putamus?* num justissimam & potentissimam Dei Nemesis effugituros? Μη παναδθε. Θεός & μνηστειζεται. Ο' γδ εδν απείραν ανθρωπων, τ'ετο ηδη Ιερους. Gal. 6. 7. Ecquæ, fodes! pervicax temeritas, Curios simulare, & Bacchanalia vivere? Deum, Christum, Pa-

triam Religionem, fidem, conscientiam ore crepare, & juratorum hostium Dei, Christi, Religionis, fidei publicæ, pactorum sanctè juratorum, pietatis, honestatis, & ipsius quoq; humanitatis, favorem aucupari, & minacia ex pelvi fulgura metuere? *Satis jam mundo est impositum, terreant nos vestigia tandem. Aperiat nobis oculos aliorum, & Christi cum primis membrorum, perpetuata calamitas. Pergimus oves Jehovah odio non habere: pergimus de insurgentibus in Christum & membra ejus, Act. 9. 5. fastidio, nos ipsos non torquere? Pl. 139. 21. metuo, consilium injisse Deum de perdendis nobis, 2. Chron. 25. 16.*

O Deus, miserere Ecclesiæ tuæ, & dulcissimæ Patriæ nostræ, quæ amœnum hactenus Ecclesiæ tuæ fuit hospitium: *Dirige consilia impetantium, compone animos disidentium: succurre pressis & afflictis: pusillum gregem tuum serva: deprime cristas illorum, qui hactenus per insolentiam animi, & elationem oculorum suorum, terminos populorum amoverunt, & instructissimos dejectos deprædati sunt, Es. 10. 17. Tu jam ostendis Servatorem, Magnatem, qui eripiat afflictos, Esaj. 19. 20. Serva unctum tuum, exaudi eum de cælo Sanctitatis tuæ, Psal. 20. 7. & serva nos quoque, quo tempore te invocamus. Psal. 20. 10.*

Usus ad Exhortationem.

I. Testemur nos regeneratos & sanctificatos, Sanctimonie operam dare per abnegationem nostri ipsorum, quam Christus nobis præcipit, Matth. 16. 24. Hæc enim abnegatio instrumentum est sanctimonie Deo placentis acquirendæ, & testimonium acquisitæ. Debemus verò id abnegare, quod in nobis est præcipuum, rationem carnalem, intellectum frustra judicantem, & voluntatem sanctitati reluctantem. Quando ratio carnalis, de rebus humanis differit, motivis externis tota confidit, & fidei, charitati, obedientiæ, cæterisque virtutibus & universæ sanctitati se opponit, difficultates varias proponit, & detrimenta bonorum, honorum, existimationis, famæ, sanitatis, & sexcenta hujusmodi obstacula alia objicit & exaggerat. Quòd si ad sanctimoniam obtinendam, vitia tantum & scelera manifesta abnegari juberentur, facile annueret: Sed quia de honore, dignitate, & familia commodis, &c. agitur, nihil æquius & justius esse putatur, quàm in his omnibus strictissimè jus suum persequi.

Durus sermo multis est hæc sui abnegatio, quam, qui fastidiunt, sanctimoniam non sectantur, utut necessitas, utilitas, & contemptæ atque neglectæ noxa eam suadeant. Pulchrè Greg. M. *Fortè laboriosum non est homini sua relinquere, sed valdè laboriosum est, se-*
met.

metipsum relinquere: Minus est, abnegare quod habet, valdè multum est, abnegare, quod est. Quotquot intellectum & rationem suam Deo subijciunt, totos illi seipfos tradunt, corvis Eliæ similes, qui, contra voracem suam naturam, panem illi attulerunt.

Ut sancti fiamus, non judicemus de divinis, quasi humana essent: nec ponderemus humana, quasi divina essent. Dura est carni abnegatio sui, at suave sanctificato jugum Christi. Quando Christus nos alloquitur, Sancti estote, quoniam ego sanctus: meminerimus, Christum caput esse, nos membra.

Studeamus ergò cum Christo & sub Christo capite nostro dicere: Sancti sumus, accepimus enim gratiam sanctitatis & gloriam baptismi, gratiamq; remissionis peccatorum.

Dicat quisque nostrum, Sanctus sum: Vox ista, non sit superbia elati, sed confessio non ingrati.

Si dixeris, te sanctum esse ex te, superbus es: sed fidelis in Christo & membrum Christi, si te non sanctum esse dixeris, ingratus es. Dic Deo tuo, sanctus sum, quia sanctificasti me. Aug. in Psal. 85.

Induamus animum Ludovici Pii, Regis Galliæ, qui ab incunite ætate sibi, potius mori, quam peccare, persuasum habuit. Et Anshelmi, qui dixit, se malle in gehemam incidere quam peccare, quia Deum tam benignum & gratiosum esse credidit, ut non peccavim in gehennam non precipuer.

Pietati hoc studiosius demus operam, quo fraudulentius Satan Sanctitati nostræ insidiatur: Si enim Sanctitatem & Pietatem nostram dejecit, atque concussit, jam vana est fides nostra & mortua. Confer Theatrum Part. IV. p. 930. ut sanctitatis studium in nobis excitemus, Tartari scintillas, in calamitatibus: & vitæ æternæ delicias, in divinis beneficiis subinde intueamur.

II. De nullius salute desperemus, quem nondum sanctificatum esse animadvertimus: Si in numero electorum est, & nomen ejus vitæ libro inscriptum, impossibile est, eum in peccatis perseverare: Convertetur, regenerabitur, sanctificabitur eo tempore, quod Deus regenerationi, & sanctificationi ejus destinavit. Pulchrè Augustin. Semper de numero peccatorum, crevit numerus electorum (Sanctificatorum) nullus est vilis anima, quam Deus proprio suo sanguine redimere, dignatus est.

III. Sancti-

III. *Sanctificatis priora delicta non exprobremus*, ne iusti animam falsò atteramus, quam Deus non affecturus est dolore. Ezech. 13. 22. *Salutem potius nostram cum timore & tremore operemur*, Phil. 2. 12. & operam demus, *ut peculiaris Deo populus simus*, Tit. 2. 14. Phil. 2. 15. & quantum in nobis est, proximum lucrifaciamus, & ad charitatem bonaque opera acuamus, Hebr. 10. 24. Tit. 2. 14.

Ufus ad Consolationem.

I. *Magni peccatores regenerati & sanctificati, magni possunt fieri Sancti*, sicut Abraham ex Idololatria factus est Dei federatus, amicus & omnium fidelium Pater: David ex adultero & homicida, Vir secundum cor Dei: Petrus ex abnegatore Domini sui, constantissimus ejusdem Confessor: Paulus ex lupo ovium Pastor, & ex persecutore peculiare instrumentum gloriæ Dei.

De nullius igitur salute desperandum, neque etiam de propria nostra, quòd aliquando salutis ad tempus incurri fuimus, & gravibus Deum peccatis offendimus. Ex ipsis Christi crucifixoribus fuerunt, qui conversi & sanctificati salutem obtinuerunt. Act. 2. 22, 23, 37. seqq. *Ubi auctum est peccatum, ibi superabundat gratia*. Roman. 5. 20. Peccavimus? convertamur, & contractam maculam eluere studeamus, ut quoque ex magnis peccatoribus, magni fiamus Sancti.

II. *Quando ex Deo geniti & sanctificati in peccata nonnunquam labuntur*, aureum B. Johannis dictum illos consolatur 1. epist. 3. v. 9. *Quisquis natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, eò quòd ex Deo natus est.*

Quæritur:

Quomodo hoc cum illis conveniat, quæ suprà diximus, *Sanctificationem in hac vita esse imperfectam, & ipsos Sanctos variis infirmitatibus & lapsibus obnoxios?*

R. Beatus Johannes 1. epist. cap. 5. vers. 16. accuratè & egregiè distinguit inter peccatum ad mortem, & peccatum non ad mortem. Peccatum ad mortem, peccatum est reproborum, qui callum obdixerunt & obfirmârunt vultum, Esa. 42. 20. c. 48. 4. Ezech. 2. v. 5, 6. Peccatum non ad mortem illorum est, qui convertuntur, regenerantur, sanctificantur. His peccata gratiosè remittuntur. Esa. 1. 18. & c. 43. v. 25. & c. 44. v. 22.

Distinguunt alii inter ἀμαρτανία & ἀμαρτανίαν ποιεῖν.

Peccant etiam regeneriti & sanctificati ex infirmitate carnis, Gal. 6. 1. se^c peccatum non faciunt, scilicet ἐκ ἀσθενείας, ex destinata malitia, sicut Judas, Simon Magus & alii. Non peccant peccato in se dominante, nec cum delectatione, non absq; lucta & resistentia, sed repugnant ei, nam semen Dei manet in ipsis: semen nempe verbi Dei, ex quo per Spiritus S. gratiam regenerantur, & in sanctificatione quotidie proficiunt.

Quam diu hic vivunt, partim spirituales sunt, partim carnales: Sancti sunt, & peccatores. In quantum viget in illis genitura ex Deo, & Sanctificatio ex fide, vivunt & Sanctitatem sectantur: in quantum autem corruptionis & mortalitatis ex Adamo reliquias secum trahunt, immunes à peccato non sunt. Quando igitur Johannes ait: Quisquis ex Deo natus est, peccatum non committit, vel peccare non potest, ex novi, regenerati & sanctificati hominis primitiis loquitur: quando verò i Epist. i. v. 8. ait: Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, &c. ad veteris hominis reliquias respicit. Utrumque agimus in hac vita: paulatim novitas accedit, & paulatim vetustati cadenti succedit. Aug. Ep. 50. ad Bonif. Quòd si autem ex infirmitate, incogitantia & imprudentia, quando firmiter, non amplius peccare nobis proposuimus, relabimur, in lapsu tamen non perseveramus, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. 1. Joh. 2. v. 1, 2. Ad hunc confugiamus, qui propitiarius est pro peccatis nostris, & totius mundi.

Quæritur:

An regeneratus & sanctificatus in idem peccatum sæpius relabi possit?
R. Non sumus Angeli, sed homines: cadimus & resurgimus, idq; sæpenumero eadem hora. Basil. Peccamus: peccamus sæpius: peccamus sæpe idem peccatum. In his infirmitatibus nostris sæpe operatur gratia, sed imperfectè, sæpe cessat, quando facimus τὰ ἑαυτοῦ ἀνομιὰ, Eph. 5. v. 4. quæ non decent sanctos. Talium conditio admodum periculosa est, versantur enim quasi in confinio inferni. Fatuum est relabi; & in idem relabi peccatum, insania, qui compellandi meritò sunt, ἀνομιῶν, ex Galat. 3. 1. certè bis peccare in eodem, viri sapientis non est. Dubium tales faciunt, an unquam rectè à peccato fuerint purgati, an verè conversi & sanctificati, quia tam sæpe relabuntur, & pristina sua peccata recrudescere atque reviviscere faciunt? quemadmodum corporalium morborum recidivæ, periculosæ sunt, & plerunque mortis prodromi, ita spiritualium quoque ægritudinum animæ. Memorabilis est Christi sententia ad Paralyticum, Joh. 5. 14. Ecce, sanus factus es, ne

P P P P P

peccat

pecca amplius, ut ne quid deterius tibi contingat. Et Chrysoft. homil. de lapsu primi hom. Noli peccare post veniam: noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam, cogita o homo, graviolem esse culpam post veniam, renovatum vulnus acrius dolore post curam, molestius sordidari hominem post gratiam. Interim, quotiescunque lapsi sumus, identidem resurgere debemus, & meminisse, resurrectionem à lapsibus, multis & magnis sudoribus, lachrymis, pœnitentiâ atq; diligentia comparandam esse. Cavenda igitur recidiva, & à cœpto Sanctitatis opere nunquam est desistendum, sed semper major gratiæ divinæ, odij contra peccatum, & tranquillitatis conscientiæ mensura à Deo petenda, ut non facile relabamur, adeoque nobis de curato vulnere & morbo securis esse liceat. Pugnemus fortiter contra peccata, & pugnantis nec Deus decrit, nec victoria: plusquam victores erimus per eum, qui dilexit nos. Rom. 8. v. 37. Succumbimus fortè semel atq; iterum, sicut Israëlites in bello contra Benjaminitas, Judic 20. v. 21, 25. victoria tandem hoc gloriosior futura erit. Ibid. v. 28. seqq. Sufficiant hæc in præsens.

Epilogus.

Puchrè Paulus Rom. 8. v. 12. Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus, sed Spiritui. Aureum dictum, & valdè necessarium Spiritûs Sancti monitum? Debitores sumus non carni, &c. Magnum est discrimen inter vitam & opera renatorum, & non renatorum.

a. Graviter quidem aliquando renati & sanctificati peccant, & labuntur, cum Davide, sed cum Davide resurgunt, quem non in cadendi, sed, si quis ceciderit, in resurgendi exemplum propositum esse sciunt. August.

b. Non renati totâ voluntate, consilio destinato, & magna cum voluptate in peccatis, velut sus in volutabro, se volvant.

Nos sanctificati, debitores sumus: non dependemus à nobis ipsis, sed ab alio, à Deo Creatore nostro, Ps. 100. 3. à Creditore, à quo, quicquid sumus & habemus, mutuavimus, eiq; ad restitutionem sumus obligati, cum fidei, obedientiæ & sanctitatis censu. Restituamus quod debemus: Versuram fortè fecimus, sicut malæ fidei mercatores, solvendo non sumus. Confugiamus ad asylum, Rom. 3. 25. Contrahamus cum Creditore, & Sponsorem ei sistamus proprium & unigenitum ejus filium, qui loco nostro satisfaciât. 1. Tim. 2. 5. 2. Cor. 5. 21. S. d. meminerimus quoque denuò nos obstringi ad pietatem. 2. Cor. 5. 15. & sanctitatem, Hebr. 12. 14. Oret igitur quisque cum August. Man. c. 3. Quasi piissime

piissime Deus, invocantem Te, non deseras, quia priusquam Te invocarem, me vocasti, & quesivisti, ut ego servus tuus te quærerem, quarendo invenirem, & inventum amarem. Quesivi, & invenio te, Domine; amare desidero, huc desiderium meum, & da quod peto, quoniam si cuncta, qua fecisti, mihi dederis, non servo sufficit tuo, nisi te ipsam dederis. O Domine, Sanctifica nos in veritate tua. Joh. 17. v. 17. Tibi sit laus, honor & gloria in secula. Amen.



Lib. I. Cap. XXXII.

De Sanctorum Perseverantia.

CONCIO.

Marc. cap. 13. vers. 13.

Qui perseveraverit ad finem usque is, servabitur.



Eatus Apostolus, emphaticis Corinthios suos alloquitur verbis, 1. Ep. 9. v. 29. *An ignoratis, eos, qui in stadio currunt, omnes quidem currere, sed unum accipere præmium? Sic currite, ut comprehendatis.* Sanctus Apostolus in his verbis

α. *Negotium salutis nostræ cum stadio, in quo cursu certatur, comparat, & ad certamina apud Græcos olim usitata respicit, qualia fuerunt certamina Olympica, Nemea, Pythia, Isthmia, in quibus saltu, palæstrâ, disco, pugilum arte, aut cursu certabatur, sicut videre est in Mytholog. Natalis Comitis, pag. m. 415, 430, 432. Scopus institutorum illorum certaminum & ludorum fuit, ut multis incommodis vexati & defessi homines, corporis sui vires, non sine aliqua voluptate, exercerent, animi mores in melius corrigerent, & simul etiam ad Religionis cultum excitarentur. In certaminibus istis præmia & corona victoribus proponebantur, & honos ingens illis habitus fuit: quo minùs autem cuiquam fieret injuria, certi iudices in singula certaminum genera delecti fuerunt, quorum arbitrio præmia darentur victoribus.*

Quemadmodum autem in cursûs cum primis certamine præmium consequeretur ille, qui metam primus assequeretur, ita præmium